

/ Admodum Reverende Pater. Ignosce, Pater Charissime, ingrati-
tudi-
ni meae, quod tam diu distuli gratias agere charitati tuae pro mu-
nusculo, vel potius pro maximo dono, quod ad me mittere voluisti. Ego
enim cum existimarem libros tuos de Trinitate esse similes aliis
5 multis, qui scholastice, ac per hoc aride, et spinose scripti sunt,
et ipse in rebus gravioribus occupatissimus essem, distuli ad non
exiguum tempus illos attente, et serio legere. Sed cum coepi illos ex
proposito considerare; inveni eos favo mellis dulciores, et auro, et
gemmis pretiosiores. Itaque nunc eos, ut libros vere spirituales, et
10 ad animum accendendum, et elevandum, et nutriendum aptissimos, frequen-
tissime lego: et cum omnes perlegero, iterum, atque iterum, si Deus
vitam meam paulo longiorem esse patietur; legere, et attente consi-
derare proposui. Itaque gratias ago Deo, qui te ad tam praeclarum
opus conscribendum excitavit: et tibi quoque gratias habeo, qui tam
15 dulces epulas, palato meo gratissimas, mittere voluisti. Vale, Pa-
ter charissime, et pro me Deum orare non desinas. Datum Romae die
11 Jun. 1620.

R.T.

frater et servus in Christo

10 Admodum Reverendo Patri,

P. Gisberto Schevichavio Societatis Jesu sacerdoti. Moguntiam.

Epist. fam. CLXIV.